



**H**einricus ex nobili familia à Netesheim a-  
 pud Belgas natus est. Is à teneris annis literis  
 incubuit, & ob foelicem indolem in omni genere  
 artium sibi magnam eruditionem cōparauit. Po-  
 stea quoq; principum castra secutus, sua fortitudi-  
 ne effecit, ut armaturæ militiæ eques auratus crea-  
 retur. Cum hoc modo literis & armis conspicuus  
 esset, anno circiter millesimo quingentesimo trice-  
 simo animum ad scribendum appulit, & de occul-  
 ta philosophia tres libros composuit. Postea de in-  
 certitudine & uanitate scientiarum declamationē  
 inuectiua uel Cynicam edidit, qua docetur nus-  
 quam certi quicquam, nisi in solidis Dei eloquijs  
 atq; uerbi Dei eminentia latere. scripsit etiā Historiam de duplici corona-  
 tione Caroli Cæsaris, atq; plures orationes doctissimas, quibus ingenij sui ex-  
 cellentiam omnibus manifestauit. præterea de præcellentia muliebris sexus,  
 atq; de apparitionibus animarum. Cum autem in artem Raymūdi Lullij bre-  
 uem commentaria fecisset, atq; abdita Philosophiæ & Astrologiæ deditissi-  
 mus esset, fuerunt qui ipsum dæmonum commercio frui existimarent. quos  
 tamen ille Apologia ædita confutauit, atq; se intra artium terminos permane-  
 re ostendit. Hinc factum ut Cornelij nomen ob multiplicem doctrinam  
 non modò apud Germanos, sed etiam exteris nationes celebre  
 existat. Con. Gest. Anon.